

TOELEMANN, JOACHIM

Vetera nova, sive de facultate  
linguarum liber.

1579

# EOD - Miljoner böcker bara en knapptryckning bort. I mer än 12 europeiska länder!



## Tack för att du väljer EOD!

Europeiska bibliotek har miljontals böcker från 1400- till 1900-talet i sina samlingar. Alla dessa böcker går nu att få som e-böcker – de är bara ett musklick bort. Sök i katalogen från något av biblioteken i eBooks on Demand- nätverket (EOD) och beställ boken som e-bok – tillgängligt från hela världen, 24 timmar per dag och 7 dagar i veckan. Boken digitaliseras och blir tillgänglig för dig som e-bok.

## EOD bokens fördelar!

- Få samma utseende och känsla som med originalet!
  - Använd ditt standardprogram för att läsa boken på skärmen, zooma och navigera genom boken.
  - *Sök:*\* Använd fulltextsökning för enskilda fraser.
  - *Klipp & klistra:*\* Kopiera bilder och delar av texten till andra applikationer (t.ex. ordbehandlingsprogram).
- \*Ej tillgängligt i varje e-bok.

## Villkor för användning

Genom att använda EOD-tjänsten accepterar du de villkor som ställs av biblioteket som äger den aktuella boken.

- Villkor för användning: <https://books2ebooks.eu/csp/sv/nls/sv/agb.html>

## Fler e-böcker

Redan nu erbjuder 40 bibliotek från 12 europeiska länder denna service. Sök böcker tillgängliga för den här tjänsten: <https://search.books2ebooks.eu>  
Mer information finns tillgängliga via <https://books2ebooks.eu> boken.

*AD*  
ILLVSTRISSI-  
MVM DOMINVM,  
DOMINVM ERNE-  
STVM LVDOICVM, DV-  
CEM POMERA-  
NORVM.

Vetera Nova,  
sive

*De Facultate Linguarum*  
*Liber*

IOACHIMI TOELEMANNI  
*Pomerani.*



ROSTOCHII  
Ex Officina Stephani Myliandri.  
Anno M. D. LXXIX.



*Spoken  
Alley  
(10)*

3 D

ILLVSTRISS

MVM DOMINVM

DOMINVM PRIN

STRA INDOLV

GEN BONER

NORVM

Vitis Nova

L. C.

De Rindes Buchen

L. C.

IO KCHINI SETHANNI

L. C.

POSTOCHII

For Order Section, Division

and M. D. C. X. I.

A D  
ILLVSTRISSIMVM  
DOMINVM; DOMINVM  
ERNESTVM LVDOICVM;  
DVCEM POMERA-  
NORVM.

*Vetera Nova; sive, De Facultate Lin-  
guarum Liber, Ioachimi Tæ-  
lemanni Pome-  
rani.*



Etus ratio est, *ILLVSTRIS-*  
*SIME PRINCEPS*, compa-  
randi facultatem linguarum,  
principio ab optimis illis, & O-  
ratoribus, & Poëtis, paulatim  
introduc̄ta; post verò vehemen-  
tius, à P. Terentio defensa: & tandem à M.  
Tullio Cicerone, cum in omnibus libris quam  
apertissimè usurpata: tum Marco filio in pri-  
mis, primo officiorum suorum commendata.  
Vnde alter Comitorum Latinorum princeps  
extitit, & elegantissimus sermonis Latini au-  
tor, alter omnes Oratores superavit: & Elo-  
quentiæ ab eloquentissimis est constitutus pa-  
ter. Quæ quidem non immeritò, præcipua  
causa videri possit: quò minus horum duorum  
libri non omnino omnes interierint; quemad-  
modum

dum aliis infinitis accidit; virorum præstantissimorum. Et, cum hoc magnum est: tum illud multò magis; quod homines sapientissimi & eloquentissimi nostræ ætatis, superiorum temporum negligentia prætermis- sam, longo intervallo intermissam, revocant, tantumque studium ejus excitarunt: ut jam omnes, qui eleganter, laudatèq; scribere frudent, aut loqui; hac via rationèq; insistant. Quo in numero Petrus Bembus, & Jacobus Sadoletus, Italarum primas obtinent. Gallorum multi elegantes & puri: sed duo clarissimi: quorum alterius exosum magis nomen est: quam superata diligentia, elegantiaq; dicendi. Germanorum verò, unus est laudatissimus, Ioannes Sturmius, etsi enim reliqui suo genere, sint omnes boni; tamen hujus & institutio, & scriptio antecellit.

Verum, cum omnium summorum & clarissimorum virorum; idem sit iudicium: eademq; via ratioq; benè loquendi, & dicendi: fit tamen, ut hic modus, hoc tempore novus dicatur: & illi, novitatis studiosi; veteraq; innovare velle crimentur: qui ejus mentionem aliquam faciunt. Ita, quod tanto tempore fuit; multoq; majore: quam vixit Nævius, Plautus, Ennius: & floruit Terentius, atq; Tullius: id nunc novum est, & inauditum: quasi nullo unquam loco extitisset. Et hi qui per- veteres sequuntur: novitij erunt: quasi nulli veteres

veteres essent; aut dici deberent nisi quod istud hominum genus, vetustatis nomine & laude dignos arbitrarentur. Nimirum Atheniense hoc est, & Atticum: ubi eodem plane modo; Divus Paulus, novorum Deorum autor videbatur; & antiquæ religionis innovator.

Sunt enim aliqui qui me non modo nominatim perstringunt, in colloquijs & conventionibus suis: verum etiam ita apud alios in odium trahunt: quasi novum institutionis genus introducerem: vetus contemnerem: juventutem corrumperem: parentibus verba darem: ut sumtus magnos faciant, sine ullo fructu eruditionis. Tantumque eo ipso assequuntur; ut complurimi homines boni; non ita commode de me sentiant: aliqui verò, quia neque viderunt, neque audierunt quidem: juvenem tamen esse intelligunt: facile in eam opinionem descendant: ut tale quid tentasse putent: juvenili audacia magis; quam certo consilio, certaque spe comprobandi.

Tametsi verò, quantum ad mei nominis gloriolam aliquam attinere posset: non ita multum perturbor: ut eos dignos existimarem: quos nominatim refutarem: cum id reprehendant; quod ab omnibus vetustissimis & optimis comprobetur. tamen quia sibi hoc ipso gratulantur: pluribusque persuadent: satisque

A ;

jam

jam diu gravissimum jugum sustinimus difficillimæ institutionis: neque magnoperè profecimus. Consilio ac voluntate optimorum & doctissimorum virorum adductus sum: at quam ipse rationem sequerer, ex præstantissimis autoribus petitam; & à Ioanne Sturmio, præceptore meo, cujus idcirco nomen honoris & observantiæ causa repeto; cum aliis libris traditam; tum illo imprimis, quem de Exercitationibus Rhetoricis, ad Philippum Comitem Lippianum scripsit: eam rationem omnibus doctis & candidis hominibus, scripto aliquo proponerem judicandam.

Videntur isti qui hanc rationem tam studiosè insectantur in me; & tam novam esse volunt; quam si à me inventa esset: veteres illos, aut non legisse quidem; aut non intelligere; aut imitationem desperare; aut inutilem existimare; aut aliquid melius scire, quod fortasse suo tempore edent; si jam eos provocare possem; ut benedicendo certare mallent; quam malefaciendo et loquendo.

Verumtamen palam protestor, omnibusq; prædictum velim; qui id suspicantur, aut affirmant; me, quod res ipsa probat; nullius nomini aut famæ quicquam derogare. Sed de veritate disputare; de utilitate; de fructibus illis; qui ad juventutem primum; tum deinde ad Rempublicam nostram redundabunt. Idem enim hoc loco respondeo: quod Terentius in prologo Phormionis.

Nunc

Nunc si quis est, qui hoc dicat, aut sic cogitet :  
Vetus si Poëta non lacefisset prior :  
Nullum invenire prologum potuisset novus :  
Quid diceret ? nisi haberet cui malediceret.  
Is tibi responsum hoc habeat. In medio omnibus  
Palmam esse positam, qui artem tractant Mu-  
sicam.  
Ille ad famem hunc ab studio studuit rejicere :  
Hic respondere voluit, non laceffere.  
Benedictis si certasset ; audisset bene.  
Quod ab ipso allatum est: sibi esse id relatum pu-  
De illo iam finem faciam dicundi mihi : (tet.  
Peccandi cum ipse de se finem non facit.

Quamobrem I. P. quod pleriq; omnes vete-  
res fecerunt : ut scripta sua optimorum virorum  
nominibus inscriberent : aut quasi apud illos ex-  
plicarent: quibus vel plurimum debere videren-  
tur ; vel quorum id magni interesset : idem mihi  
faciendum esse video.

Quia enim & ipse doctus es ; & doctrinæ  
studiosos non aspernaris ; sed complures alis &  
foves ; & ditionis nostræ Dux es & Dominus ;  
tibi potissimum rem totam exponam : si modo  
est otium ; et si placet. Tibi inquam potissimum ;  
quia tibi ante omnes eniti debeo ne displiceam ;  
tantoq; majore observantia coli debes : quanto  
superiore loco à Deo Opt. Max. collocatus es : et  
officio tuo satisfacis ; bene omnibus nobis præsi-  
dendo. Deinde tibi potissimum exponam : quod

A 4

expertus

expertus sciam: hanc eiusmodi quaestionem esse: quæ Principibus viris non potest non esse grata. Agitur enim de studio linguarum; & imprimis linguæ Latinæ; quod in Principibus præcipuè collaudatur: tantoq; magis elucet; quò loquuntur purius. Quanta enim laudi datur Illustris. Angliæ Regina: cum quod ipsa benè loquatur Latinè: tum quod Ioannes Sturmius libellum suum de periodis ad eam potissimum eo nomine scripserit? Quid? Nonne Illustris. fratri tuo Iohanni Friderico, maximo ornamento fuit: quod in consessu tot Principum Germanorum & Itatorum, ab Imperatore literatissimo Divo Maximiliano secundo, hac ipsa de causa sit collaudatus?

Quamvis autem, sæpe occupatissimus sis: tamen ubi tibi ita videbitur; hæc videbis: num ab illa ratione dissentiant: qua ipsemet institutus es: & quam optimi illi autores filijs suis sequendam censuerunt.

Propositum igitur sit. Possit ne facultas linguarum, comparari ea, quæ sufficiat, ad benè loquendum? & quemadmodum possit? quantove tempore?

Quod, ut facilius expediam; de lingua latina dicam tantum hoc tempore: ut inde, quæ sit in cæteris ratio; exemplo arguam. Est enim penè eadem, aut certè non omnino diversa. Qua in re primum videtur de Vocabulis: Deinde de præceptore & discipulo: Tum de In-

stitutio-

stitutione esse dicendum. Te oro I. P. ut æquo animo mea verba audire: & quid dicam velis animadvertere.

Quia enim verba rerum notæ sunt: necesse est; ut rerum copia est: ita verborum quoque copiam esse oportere. Quod isti quidem, nisi omnino insaniant, non inficiabuntur. Præterea verò, ut rerum infinitus numerus, sine certa distributione, certoque ordine; nunquam comprehendere; nedum cognosci poterit. ita multitudo verborum, nisi æquè benè distincta sit; serò ediscetur. Quod adhuc nostro magno malo experimur: isti quemet ipsi cum loquuntur, quasi forices, indicio suo attestantur.

Hic verò dicent; Tunc illum nobis ordinem demonstrabis? Ego verò inquam demonstrabo: & si potero, evincam. Quid enim auribus tuis cum faris facis? Sonum percipio dices. Ego verò prorsus idem. Quid verò ille tibi sonus facit? inanis ne est; an verò quidpiam denotat? Denotat, inquires, id quod significat. Ita verò optimè respondisti, id ipsum volebam. Age porro; cum tibi vestem fieri curas: tuone corpori aptatur; an alieno? Meo sanè dices: mihi enim comparo. Benè verò inquam res habet. Negabis ne igitur; si res verbis convestire velis; verba rebus coagmentanda esse? Quid? dices, adeo ne me stupidum putas: ut id negem. Si igitur, inquam, non negas: cur huc usque reprehendisti? Sed expediamus, quod incepimus.

Adhuc enim similitudine fortasse, ut concederes, coactus es magis; quam quod revera asserere. Quia ergo in omnibus vocabulis duo sunt; Sonus, & Notatio, utrumque rerum distributionem sequetur: aut notatio rerum: sonus dictionum. Quam tu, inquires, mihi distributionem narras? Ita sane necesse foret; me omnes res scire: antequam verbum unum discerem. Ego verò de modo post videro; tu mihi jam ad id responde, quod quero, utram viam ingrediendam arbitreris? Nescio sane dices, tu nobis eam explica. Faciam verò libenter: quoniam nescis; & rogas etiam. Concedes opinor; quarum rerum divisæ naturæ sint: dividendam esse tractationem: & quarum conjunctæ conjungendam. Concedo dices. Ita enim commodissimè agitur. Sed quid tandem inde evinces? Illud, inquam, quod tu tanto perè derisisti: ut quamque vocem, suo rerum generi inseram: eandemque etiam, cum ex sui natura considero; dictionum generibus distinguam. Quonam verò inquires, modo? Non ego isto quidem; quo inter scyphos soles: ne maledicendi occasionem præbeam. tu modo vide; ut in hoc par mihi sis; & antequam condemnas; judicii causas, recte perponderes; ne de sententiâ tua appelletur. Agamus igitur; & ad rem causamque veniamus.

Constat ergo duo Vocabulorum summa Volumina esse debere: alterum rerum ordinem tenens;

tenens: alterum dictionum. Itaque de primo prius. Quod credo libentius admittes: ubi te ipsum recte consideras: quibus ex partibus, partiumque particulis concreveris. Vides enim primum in te esse animam & corpus: tanquam integri tui principales partes. Sed ita, ut sint conjunctione unum; unamque in formam conformata. Quorum tamen alterum, si ab altero separatur; non erit omnino nihil. Deinde autem his ipsis, infinitas alias inesse: sed quarum multo plurima pars, esse nunquam potest; si ab illis segregetur primis; ut à lingua, sermo. Harumque ipsarum duplex itidem genus esse. Vnum, quod insit tantum: & tanquam divertatur: ut in auribus auditus. alterum quod commoveat etiam; quasi que de verberet: ut audire & audiri. Denique cum res motu suo cietur; aliud quoddam rerum genus accedere: quod ea de causa circumstantia dicitur: quia adstet, motumque adjuvet. Ita omnia hæc ad tria tanquam capita referuntur; Substantiarum, Adiunctorum, Motuum.

Vnde tria vocabulorum genera nascuntur; Substantivum, Adjectivum, Verbum: quibus omnis sententia, omnibus sui partibus enunciatur. Quamobrem illa prima erit sententiæ comprehensio simplicissima: cum quæque pars, sua voce una effertur. vt, Honor alit artes. omnesque incenduntur gloria. vicissimque. Artes aluntur honore, gloriaque incendit omnes.

Et in illo. Suus mos est cuiq;. Itaq; hæc quidem facilima ratio esset: si esset sola. Habet enim aliam sociam illam quidem; & ex se procreatam: sed quæ longè majoris prudentiæ sit; & diligentissimæ observationis: non solum quibus autoribus nitatur: verum etiam quibus in rebus singulis versetur. Hæc verò illa est; quæ Latinos à Latinissimis separat: qua Terentius & Tullius antecellunt: quam omnes elegantiores consectantur: cui tanto studiosius opera danda est; quanto majorem ingenii atq; industriæ laudem meretur: & barbariem à puritate sejungit. Hæc enim; (quanquam etiam prior illa) me docet: Latini sermonis elegantiam ferre non posse: cum tibi solum loquar; ut honoris tui causa; (quando hic tibi honos videtur;) adversantes sibi numeros jungam. Si dicerem. Domine quomodo valetis vos? Contrarium enim verum est: cum de me ipso modestius loqui volo: ut plurali numero utar loco singularis: ne mihi unum nimium videar arrogare. quemadmodum omnibus autoribus linguæ Latinæ & Græcæ receptum est & comprobatum. De hac igitur contentio nobis est. hic me oppugnes: hic etiam expugnes necesse est: si gestis vincere. Quanquam hoc non arroganter dictum accipias velim: quasi te essem elegantior. Sentio enim, quam tenacissime sordes illæ hæreant; quibus sum principio imbutus. Neque adhuc quicquam scripsissem:  
nisi tu

nisi tu me ad defendendam veritatem provocasses, & viri boni suafissent. Jamque praevideo, quid futurum sit: cum hoc ipsum scriptum ad aures politiorum pervenerit. Nequaquam enim censuram illam adaequabit: **NIHIL** huc nisi perfectum ingenio: elaboratum industria afferri oportere censeo. Illud dumtaxat dico. Si meum institutum condemnatum voles: id una condempnes oportet: quod ab optimis illis autoribus linguae Latinae observatum est: quoque postquam magisque, ut Ennius ait, viro- rum gloria claruit.

Vt igitur quae sit videamus; addemus reliquas, quae sunt in eodem loco; ejusdem comprehensionis partes.

**HONOR** inquit, alit artes: omnesque incendantur ad studia gloria: jacentque ea semper; quae apud quosque improbantur.

Hic animadvertis, opinor; **INCENDI** ad studia. duo saltem significaret rei, quae incenditur, motum: & ejus motus effectum sive finem. neque duo tamen; sed tria vocabula esse. Porro in illo. Ea quae apud quosque improbantur, jacent semper. tria tantum significari; rem quae in motu versetur; motum; motumque circumstantans tempus. tanquam si tribus etiam vocibus dixisset: Improbata jacent semper. Verum prius horum pluribus vocabulis dilatur; quam duo postrema; neque illis binis, ut ante; sed ipsis quoque in plura conversis. Simplex enim fuisset. Ea quae improbantur quibusque: ut

sæpius ipse loquitur. Nunc pluribus dicit. Ea quæ improbantur apud quosq̃. Quia de loco potius loquitur ; ubi quid improbetur ; quam de causa ; eove qui improbet : etiam si sit vtrumq̃.

Neque vero hoc meum commentum est : sed ipse ita Cicero ait in Partitionibus Oratoriis.

Reliquum est igitur, inquit, filius ; ut dicas de conversa oratione atq̃ mutata. Cui pater respondet. Est itaq̃ id genus totum situm in commutatione verborum. quæ simplicibus in verbis ita tractatur : ut aut ex verbo dilatetur : aut in verbum contrahatur oratio. Et sub finem addit. Eloquendi autem exercitatio, maxime in hoc toto convertendi genere versatur.

Nunc exemplum aliquod subjungerem ; ex prioribus tribus libris Epistolarum Ciceronis ad Atticum : nisi tibi ejusdem vocis crebra repetitio molesta esset : ut fuit in voce, epistola.

Sed spero jam aliter senties ; daboq̃ operam, ne te eodem sono sæpius obtundam. eandem tamen cantilenam canam, quanquam brevius : quia jam fortasse nonnihil assuevisti. & si forte tabellarius adsit cum epistolis ; ut esset his loquendi formulis opus.

Substantiæ igitur vocabula sunt. Epistola. pars epistolæ. hæc ipsa epistola. epistola illa. Adjunctorum verò. Epistolæ, duæ, tres, quatuor, aliquot, omnes, nullæ. una, altera, tertia, quarta, superior. paulò gravior, tantula, tantis de rebus, ponderosa, brevis, brevior. Et illæ conver-

conversiones longiores. Epistolam brevem esse  
meam non tam brevem esse, quam tuam: ple-  
nam esse non modo omnium factorum; sed eti-  
am opinionum. Atq; hæc quantitatis cuiusdam  
sunt: Illa qualitatis. Epistola insignis, liberior,  
non necessaria, præclara, digna historia, suavis,  
suavissima, grata, inconstantia epistolarum.  
Epistolæ tuæ fuerunt omnes Rhetorum: pure  
loquuntur: humanitatis sunt sparsæ sale: insi-  
gnes amoris notis: præclaræ de re aliqua: absq;  
argumento ac sententia: per quam nos ac mores  
nostros purgatos ac probatos esse volumus. Hæc  
ipsius epistolæ adjuncta sunt. Illa confectionis  
& circumstantiarum. Aliquem properare ad  
epistolam: scribere. Aliquid in epistola sua scri-  
bere: scribere plura: per diligerter. Includere  
orationem in epistolam. committere aliquid  
epistolæ suæ: appingere aliquid novi. Ajere ali-  
quid epistola sua: exponere prudenter & dili-  
genter de re aliqua: demonstrare aliquid: purga-  
re se ac mores suos: rogare aliquem: hortari, ob-  
jurgare, petere, remorari. Loqui apud aliquem  
de se in epistola sua: se Lælium alterum Furium  
facere. Non sinere epistolam suam, ad alterum  
pervenire absq; argumento, ac sententia. Epi-  
stola scripta in eandem rationem. Propter hanc  
dubitationem meam, brevior hæc ipsa epistola  
est. eo factum est: ut ita scriberem. hoc factum est:  
propter epistolæ tuæ illam partem, scripsi mea  
manu. Vix huic tantulæ epistolæ tempus habui.  
non ad-

non adscribere diem in epistola sua. Satis significare tempus scriptæ epistolæ. epistolam dare anchoris solutis: idibus Februarii: ad diem decimum sext. Cal. Maji, epistolæ duæ datæ uno tempore. Epistolam de Phaleso dare: à tribus tabernis: Romæ; Roma.

Animadvertis jam, quanti retulerit; singulorum adjunctorum & circumstantiarum, in singulis formulis diligentissimam rationem habere: ne barbarorum gregi imprudentes adscribamur. Tamen si enim eodem modo congruè dixeris, in diversis: fit tamen sæpè, at non satis dixeris eleganter & usitate.

Sed dices fortasse nunc; nimiam hanc solitudinem esse: plurimiq; temporis: neque ita necessariam: ut qui careat; magnoperè peccet; minusve utilis sit Reipublicæ. Quod tu mihi propterea dicere videris: ut te nonnihil excusare possis: si forte hoc ipsum in te desideraretur. Si enim verum esset: non tu minus mutum, aut balbum intelligeres; quam disertum. Causamq; tuam impolitus non minus dilucide diceres; quam politissimus orator. neque ullis omnino oratoribus egeremus. Non est ita vir bone. Si enim nihil aliud sit; quo fias melior: illud sanè discas: ne tibi tuoque ingenio plus tribuas, quam ullis aliis: neque ante iudices; quam rem benè examinaveris: neve opinionem tuam, ut taurus aliquis obstinacissimè defendas; solo animo resistendi.

Habes

Habes adhuc orationis materiam; nunc  
distributiōem videamus: non tam in singulis  
quidem; quæ jam est explicata; quam univer-  
sis: ut omnes partes domicilij nostri pernosca-  
mus. Primum igitur, omne quod est,  
aut Æternum est; ut Deus, ut Trinitas, ut ea  
quæ Dei sunt, aut est creatum; ut cætera omnia,  
quæ à Deo condita sunt. Deinde Anima præ-  
ditum est; ut Deus, ut angeli, ut animæ hominis  
& animantium, aut Corpore; ut cœlum, aër,  
aqua, terra, aut Neutrum; ut ratio, virtus, viti-  
um, motus, tempus, & alia. Denique revera  
existit; ut Deus, Trinitas, Angeli, Diaboli, æter-  
nitas, aut existere ab hominibus putatur; ut  
Dea, ut Iuno, ut Cerberus, ut transvectio Ache-  
rontis, ut alia. Atq; hæc generalis omnium  
distributio est; sed adhuc pluribus quasi rece-  
ptaculis dissipanda.

Quæcunque ergo de Deo dicta sunt; dicere  
possunt; sive vera, sive falsa; in hoc Vocabulo-  
rum volumen collucentur, quod sit Rerum æ-  
ternarum. Deinceps verò Creatorum duplex  
esse genus potest: Remotum & Mundanum.  
Remotum est; quod sui natura sub intelligen-  
tiam & sensus humanos non cadit: ut angeli, ut  
diaboli, ut omnia quæ quasi extra mundum  
sunt; id est, quæ à Deo, principalibus causis,  
non collocata sunt in hanc rerum naturam;  
quam homini occupandam dedit; & quam  
hominis gratia potissimum condidit. Ita ad hoc

Vocabulorum volumen; omnia illa referantur;  
quæcunq; de hujusmodi rebus, verè, falsove, aut  
dicta sunt, aut credita. ut sit hoc volumen rerum  
Remotarum. Mundanum est; quod sensibus  
& ingenio humano expositum est: ut Cælum,  
Aër, Aqua, Terra. cum ipsius rei: tum Extero-  
rum & Inferorum.

Cœlestium rerum volumen erit; ut ipsius cæ-  
li; ut cœli partium. Ut eorum quæ cœlo insunt,  
solis, lunæ stellarum, & similium.

Aëriarum erit; ut ipsius aëris. ut ventorum,  
nubium, pluviarum, tonitruum, tempestatum,  
& aliorum.

Aquatilium erit; ut ipsarum aquarum: ut  
aquarum naturæ & differentiæ; Fluviorum, ri-  
vulorum, stagnorum, lacuum, marium. ut eorum  
quæ his ipsis insunt; piscium, gemmarum, mar-  
garitarum. ut eorum quæ supernatant; avium,  
navium, & aliorum.

Terrenarum verò erit; primum ipsarum ter-  
rarum, ut generum & differentiarum; arenæ, gle-  
bæ, lapidis, saxi & aliorum: ut eorum, quæ effo-  
diuntur, auri, argenti, plumbi, sulphuris, & alio-  
rum. Deinde superficiæ: ut sunt ejus quasi ge-  
nera & partes; montes, colles, paludes, agri, cam-  
pi, &c. ut sunt, quæ ex superficie excrescunt; sive  
sua sponte, sive studio & industria hominum; ar-  
bores, frutices, herbæ, fruges & aliæ.

Denique Externorum, pars animata est &  
mobiis: pars adstructa & affixa. Animatorum

verò

verò pars rationis expers est; ut Bestiæ: pars verò compos; ut homines. Et Bestiarum pars volatilis, ut aves: pars volatu destituta, ut reliquæ. Destitutorum etiam pars gradiens est; ut ferè maxima pars brutorum: pars serpens; ut serpentes, & ejusdem generis plura.

Hominum porrò partitio primum singularis sit; in corpus; in animam; in utriusq; adjuncta & affecta, interna & externa.

Deinde generalis & communis; in conjugium, consortium, societatem, civitatem, regnum, omneq; imperium & gubernationem.

Adstructa verò Bestiarum sunt; ut Latibula, nidi, spelunca. Aut Hominum; ut aedes, domus, arces, pagi, urbes, & similia.

Non solum autem, Adjuncta & circumstantiæ; suis quæq; substantiis adjungi debent; verum etiam ipsæ per se poni. Tam enim res sunt, quam substantiæ; & tam suam essentiam in se habent, quam habent substantiæ. Et Adjunctorum quidem duo genera constituuntur; Quantitatis & Qualitatis. Circumstantiarum verò quatuor; Causæ, Instrumenti, Temporis, Loci. Hæ sunt rerum quasi horreæ quædam; quibus singulis sui generis verba recondenda sunt; ne si in alienum locum irruant; de vi accusari possint. Quibusq; vero prima propriæ significatio, & usitator loquendi formula subjungenda est; maximè autem, quibus sit autoribus introducta.

Nunc Alterum Vocabuloium volumen  
succedit; quod dictionum ordinem sequitur.

Quoniam enim pars Vocabulorum hujus  
linguæ in Latio nata est: pars accersita ex Græ-  
cia, aliave natione: conjungenda sunt ea quæ e-  
jusdem originis erunt. Deinde cum pars so-  
luta sit & libera: pars conjuncta & alligata: suis  
quæque finibus concludentur. Præterea verò,  
quia plurima multitudo est, eorum; quæ ex plur-  
ribus componuntur, & ab aliis descendunt: pri-  
ma illa priore loco ponentur; ordine literarum,  
tum deinde composita & deducta primis suis  
subjungantur. Deniq; verò quia pars unius-  
modi est: pars certis finibus variatur & flecti-  
tur: neq; eodem modo in omnibus; adscribi  
debeant, quæ à communi aliqua regula dece-  
dent: ut commentandi, dictandiq; occasio præ-  
cidatur.

Hoc autem tanquam apparatus; præmuni-  
tus esse magister debet: itaq; instructus discipu-  
lus: ut cum ad consecutionem ventum sit: neu-  
ter deficiat.

Neque verò hæc ego forte invenissem: aut  
inventa publicasse: nisi ipsum Ciceronem ar-  
bitrarem: ejusmodi Voluminibus instructum fu-  
isse. Si enim Proœmiorum volumen habuit:  
habuit etiam Vocabulorum. ex Terentio præ-  
sertim: quem ita aperte imitatur: ut sapissime  
integras lineas describat: & pro suis utatur. Tan-  
tum est, inquit, ab re tua otij tibi; ut etiam Ora-  
torem

tozem legas? Epist. 7. lib. 12. ad Atticum. quis non videt; ex Heautontimorumeni Scena sumtum esse? ubi ita Menedemus ait. Chremetantum ne est ab re tua otij tibi? aliena ut cures? Verum hac nunc missa facio. Exordiorum enim; omninoq; omnium Rhetoricorum locorum, exempla complurima habuit; etiam unius ejusdemq; rei: non ab aliis solum; sed a seipso quoq; otij tempore confecta.

Ita enim scribit ep. 6. lib. 16. ad Atticum. De gloria librum ad te misi, & in eo proœmium id est; quod in Academico tertio. Id evenit, ob eam rem: quod habeo Volumen proœmiorum. Ex eo eligere soleo; cum aliquod *ὁ ὑπερβαλλόν* institui. Itaq; jam in Tusculano; quia non meminissem, me ante usum isto proœmio; conjeci id in eum librum, quem tibi misi. Cum autem in navi legerem Academicos; agnovi erratum meum. Itaq; statim novum proœmium exaravi: & tibi misi. Tu illud defecabis; & hoc agglutinabis.

Eodemq; illa pertinent Tusculana 1. quæ de corde recitat. Aliis, inquit, *COR* ipsum, animus videtur, ex quo *EXCORDES*, *VECORDES*, *CONCORDES* dicuntur. Et Nasica ille prudens, bis consul, *CORCVLVM*. Et Egregie *CORDATVS* homo M. Catus Aelius Sextus. Verisimile enim est; quia fuit diligentia, & religioso judicio in seligendis vocabulis; non memoria solum omnia conservasse:

sed multo magis scripto: ne quicquam effugeret;  
ut satis patet ex his; quæ modo recitavi: & ex  
ijs, quæ deinceps afferam.

Atqui verò, etiamsi hoc non esset: tamen  
nos ejusmodi rationem inire oporteret: ut om-  
nia tempestivius addisceremus. Etenim, ut  
ille, qui domum maximam brevi tempore; &  
quod fieri solet, in æstate construere vult: ne-  
cesse habet multo antè omnia conquirere; &  
suis locis conservare: ne aut in ædificando sub-  
sistat defectu materiæ: aut deveniat in hyemem  
incommoditate apparatus. Ita qui docere  
volet, linguam quamcunque; peregrinam præ-  
sertim, & solis scriptis existentem: idq; annis  
puerilibus; uti par est, rectiusve agitur: jam  
antè certe collecta habere oportet: suisq; distri-  
buta locis Vocabula omnium rerum; quæ-  
cunque à probatis autoribus comparari pos-  
sunt: eademq; discipulis suis, suo tempore tra-  
dere: ut cum instituere ceperit; magnis itineri-  
bus pergere; cursumq; suum conficere possit:  
antequam ab insequenti ætate obruatur. Sed  
quæres fortasse nunc; quisnam nobis hæc tam  
præclara volumina conscribet? Conscripta  
jam esse hoc modo, vellem: etsi fortasse sunt: nisi  
quod nos adhuc nesciamus. Ut ut verò sit;  
illud certum est; non tanti ingenij rem esse;  
quanti laboris & tædit. neq; ita difficilem in-  
ventionem; quam diligenter attentæque obser-  
vandam. Multa enim adjumenta sunt: multi

multo-

multorum egregij libri. Quæ si omnia cõsideratè conjungantur: multò maxima pars fuerit confecta. Potest præterea via aliqua demonstrari: qua breviori tempore omnia annotentur; quæcunq; sunt apud probatissimos autores; ut suo tempore distribuantur. Eaq; in re nos tantillum jam perfecimus: quantum sufficiat jaciendis fundamentis.

Ita ergo I. P. materia colligetur, hujus tanti operis. Sequitur nunc; ut de Præceptore & discipulo dicam: ne ab imperitis operarijs quicquam conturbetur. Potest enim hæc copia & hic apparatus instructissimus esse: neq; tamen discendo multum profici: aut culpa ejus qui discit: aut etiam ejus qui docet. Quamobrem in discipulo, primum Ingenium erit: deinde Voluntas: tertio diligentia.

Ingenium erit: tum quæ optimarum linguarum cognitio, ingenuo homine digna est modo: tum quia absque ingenio parum effici possit: satiusq; sit homines prorsus stupidos atq; truncos; ad sui generis studia remittere: quam oleum & operam perdere in literis. Ingenius enim labor etiam ingeniosos homines postulat.

Voluntatem verò, quanquam incitari etiam multis modis potest: tamen spontaneam esse necesse est, cum ut ille ait,

*Nulla est tam facilis res; quin difficilis fier; Quam invitus facias.*

Volun-

Voluntas enim per se plurimum potest: & saepe maxima causa est eruditionis. Ita ut ingenium absq; voluntate discendi quiescat: Voluntas contra non raro, ingenium minus acutum atq; sagax excitet; sapissimeq; exacuet.

Tertio loco Diligentia erit: quæ mater est, non tantum diuitiarum: sed omnium artium atque disciplinarum. Hac prope sola Cicero Orator summus evasit: hanc adjutricem habuit superandi Hortensium, dicendi gloria. in quem tamen virum natura summa subsidia collocaverat eloquentiæ: omninoque paria; si non majora etiam; quam in ipsum Tullium.

Iam verò in Præceptore, quis non videt longe majora inesse oportere; quam saepe sint? Sed ne quis sibi hoc dictum putet: præfatum volo: me hæc quæ diciturus sum in me ipso desiderare: ut quid mihi desit ostendam; non ut reprehendam alios.

Est igitur Præceptoris ea omnia scire; quæ volet docere: neq; scire solum; sed etiam discen- tibus tradere posse: non solum ediscendis præceptis; sed omnino explicandis: non verbotenus tantum; ut nonnullis in more est: sed ipsa sententia atq; mente, quam planissime, & absq; omni obscuritate efformanda. Nisi enim ipse Præceptor exercitissimus sit: quemadmodum sentiet; ubi deficiat; aut hæreat discipulus. Et quemadmodum quod vult ostendet: si destituitur  
atur

atur facultate illa docendi; qua rem ponat penè ante oculos. Nunquam verò intelligenter docebit; & sine molestia: nisi ipsam mentem vimq̃ præceptorum; penitus animo discentis infigat. Nimirum Psittaci aut corniculæ memoria oratioq̃ est: verba aliqua resonare: mentem verborum non intelligere. Imò verò non video; quemadmodum id cuperem ediscere: quod non ante ex omni parte percepissem. Quamobrem sit hoc in Præceptore primum: ut literatissimus sit: & docendi facultate præditus.

Alterum erit: ut autoritatem habeat apud suos. Sed hanc nequaquam comparabit voce agresti & magna: maximis clamoribus; torvo & Tyrannico vultu; morositate respondendi: frequentia cædendi: sævitia castigandi: libidine cruciandi: proponendis difficillimis sententijs; ubi nondum docuerit præcepta Grammatices omnino. Non hoc inquam modo, autoritatem sibi veram comparabit. Verum facultas illa docendi, ipsaq̃ doctrina, autoritatem primam generant. Natura enim comparatum est; ut eum ames; & in honore habeas: à quo te non difficulter erudiri sentias. Deinde vita atq̃ mores facile illam conservabuut: si cum ætate consentient: si neq̃ discentis animum impediunt sævitia pœnarum; neq̃ observantiam relaxatione. Tum verò longe maxima erit: cum quo ipse gravior fuerit & severior: tum quo humanior & facilior; omniq̃ in re diligentior.

Tandem oportet præceptorem prudentem esse: ne suo vitio progressus discantis remoretur. Maxime enim providendum est: diligentissimeq; etiam atque etiam considerandum: quid, quoq; loco doceat: ac quemadmodum, quo ve tempore præcipiat. Non enim laudari debent; quorundam elatiora consilia: qui hoc vitæ genus aspernantur: si se ingeniosos putent: viroq; prudenti & provido, dedecus existimant esse: plantulas accuratius excolere, quam arbores: quasi illæ frigoribus æstuque non citius multo corrumpentur.

Adhuc Ill. P, demonstratum quoto: posse facultatem linguarum comparari talem; quæ sufficiat ad bene loquendum. Si sit Vocabulorum distincta copia: & idoneus cum præceptore discipulus. Secunda paars de *MODO* fuit. De quo isti usq; huc maximoperè triumpharunt. hic autoritatibus suis pugnant: hic soli sapiunt: hic falsa, stulta, peregrina, nova, temeraria sunt; quæcunque suo cerrbro non comprehendunt.

Itaq; jam ex prolusione hac, in ipsam pugnam descendamus: ut qui se melioribus rationibus & autoritatibus defenderit: sine controversia superior decedat. Neve novo modo pugnemus; tribus congressibus omnem pugnam absolvamus. Tribus enim rebus, omnis conficitur institutio: Vocabulis, Præceptis, Exercitatione. Ita ergo nascetur initium.

Quærent

Quærent isti; quemadmodum hæc vocabula, de quibus adhuc diximus; etiamsi collecta sint: discipulis tamen ita distribui possint: ut ab omnibus omnia ediscantur? Difficilis sanè quæstio: quæ totum negotium contineat. quæ dissoluta ostendent sese indicia victoriæ. eoque nos utrinque diligentius tueamur.

Quoniam enim in hac parte, Præceptoris prudentia, præcipuam vim habet: non dubium est id quidem; quin qui prudentissimè egerit, vincat. Nimirum igitur discipulorum vires observandæ erunt; quid ferre poterunt: et quemadmodum onerandæ. Concedent jam, ni fallor, memoriam juventutis tenacissimam esse: quod nullis gravioribus cogitationibus prægravetur: eaque conservare maximè; quæ subinde recurrunt: & occasionem præbent interrogandi, & recordandi.

Tum verò id multo magis fieri; cum demonstrantur, commendantur, repetuntur. Itaque hinc faciendum erit initium. proponenda ea, quæ quotidie versabuntur ante oculos: partibus suis singulis discriminata. ipsaque res vocabulis suis subjienda: quò discipulus videat esse in re; quod audit in verbo. Ita enim facilimè confirmabitur memoria; definitione illa oculari reique imagine: quam quotiescunque deinde aspexerit: vocabulum cogitationi recurret ultro. Ecce autem hoc ipsum quidem ipsi Tullio accidit, etiam senè, ut scribit epist. 21. lib. 13. ad Atticum.

Inhibere illud tuum, inquit; quod mihi valde arriserat, vehementer displicet. Est enim verbum totum nauticum: quanquam id quidem sciebam. Sed arbitrabar sustineri remos; cum inhiberi essent remiges iussi. Id non esse ejusmodi, didici heri: cum ad villam nostram navis appelleretur, non enim sustinent: sed alio modo remigant. Id ab ἐποχῆς remotissimum est. Quare facies, ut ita sit in libro, quemadmodum fuit. Dices hoc idem Varroni: nisi forte mutavit.

Non est melius quicquam; quam ut Lucullus sustineat currum equosq; ut bonus saepe agitator. Semperq; Carneades προβολῆς pugilis, & retentionem aurigæ similem facit ἐποχῆς. Inhibitio autem remigum motum habet; & vehementiorem quidem remigationis, navem convertentis ad puppim. Vides quanto hoc diligentius curem; quam aut de rumore; aut Pollione.

Veruntamen hæc ipsa vox extat adhuc, significatione illa opinata; lib. 1. de Orat. quem locum inferius recitabo. Sanè, ut nihil certius fieri possit; quam ut res sensibus suis obiciantur.

Deinde quo plura pauco tempore addiscantur; non eadem singulis tradenda sunt; sed singulis singula, ut si quisq; alterum roget; ut est sciscitator propè omnis puer: eo ipso possit; quod à præceptore non dum habet; à condiscipulo

pulo mutuare. Tum verò ubi à singulis sua ext-  
gentur: clarissima voce recitabunt: ut ob om-  
nibus exaudiantur. Eo fiet; ut omnes propè  
omnia discant, una recitatione: si non perfe-  
ctissimè: tamen quantum aliquo modo satis sit,  
ad intelligendum: cum ea ipsa quæ ex aliis au-  
dierunt, sibi erunt ad discenda. Præterea au-  
tem, quo ad discendum avidiores fiant: sæpe  
promissis, sæpe præmijs, sæpe laude, sæpe concer-  
tatione, sæpe humanitate, sæpe indulgentia, sæ-  
pe etiam pœna incitabit. Mirum est enim;  
quam animus puerilis, his rebus afficiatur.

Ejus rei proximè vivum exemplum vidi:  
apud Nathanem Chytræum Rostochij: in filio-  
lis ejus Davide et Ionathane: adhuc pueris quinq;  
& sex annorum: proposito etiam pomo mune-  
re, & audita collaudatione patris. Quid tu, in-  
quit, ille, scisne latinum nomen pomi? Imo verò  
inquit alter, scio. Sed scisne tu latinum nucis?  
scio ego respondet ille. Verum tu ignorabis; quo  
nomine latino appellaverit pater prunum &  
pyrum. En est prunum & pyrum. Istud ipsum  
est, inquit, ille, eras tamen ferè oblitus. Neque  
hæc solum in medium attulerunt: verum etiam  
de alijs compluribus monstratis rogati: nomina  
eorum dixerunt. Atq; hoc quidem exemplum,  
non spero. istis adversum fore: quia puerile sit.  
Non enim omnino puerile est; fundamenta po-  
nere doctrinarum & eloquentiæ: maximarum  
quidem, maximeq; senilium facultatum.

Sed resistēt fortasse nunc: neque ita fieri posse dicent in turba aliqua, & diversitate ingeniorum. Quasi verò jam de ingenijs disputemus; non de memoria. Imo verò, quo fuerint plures: eo erit melius. Sed adhibebitur iudicium; ut qui iisdem rebus moveantur; ejusdem generis vocabula ediscant; ut tanto facilius contentio institui possit, laudis & præmiorum.

Doctoris enim intelligentis est; ut recte inquit Tullius; videre, quo ferat natura sua quemque: & ea duce utentem, sic institueret: ut Isocratem in acerrimo ingenio Theopompi, & lenissimò Ephori dixisse traditum est: alteri se calcaria adhibere: alteri frenos.

Primum igitur esto in institutione: ut imbutus sit discipulus, quam plurimis vocabulis, recta via rationeque distributis. Proximum erit, ut deducatur ad consecutionem. Quæ certis præceptis & regulis comprehendetur: monstrantibus rationem loquendi optimorum auctorum; in primis verò Ciceronis: cujus connectio consummata est: omnibusque numeris absoluta. Hic ergo acrius dimicandum erit: & ferendum prudentius: ne ulla ratione sauciemur. Principio positum illud sit: Regulam usus ministram esse: non usum regulis adstringi & alligari. Ex quo illud sequitur: Illas regulas optimas esse: quæ usus varietatem commodissime demonstrant. Et illorum præcepta utiliora: qui usus constantem rationem subsequuntur. Quæ  
de causa

de causa quorumcunq; præcepta comprobanda sunt: qui hanc nobis viam verissimè demonstrabunt. Solent enim isti omnia improbare; etiam nunquam à se lecta aut cognita: dum modo à suis moribus & institutis audiant discrepare. Quin jam quoque Terentianum illud obficient.

Nobis sic est usus: tibi, ut opus est facto; face. Atq; utinam idem ipsi fecissent: nunquam certè ad hanc pugnam devenissemus. Dum enim aliena curant: eaq; quæ nihil ad ipsos attinent: tantum assequuntur: ut audiant, quæ nolint: dum quæ nolunt, dicant.

Præcepta ergo consecutionis expeditissima sunt: nihilq; nisi necessarium continent; ad adjuvandum usum. Hic verò secundi voluminis Vocabulorum, utilitas se offert, in variatione.

Quoniam enim pars prima est: pars composita & deducta, et Latina, aut peregrina & Græca: pars deinde finita est & mobilis: pars infinita & uniusmodi. Finitorum etiam pars conformis: pars peculiaris et multiplex, videndum sanè erit: ut prima & Latine sibiq; conformia priore loco flectendum proponantur; tum peculiaris et græca, & composita atq; deducta addantur. Verum quia hic initia fiunt consecutionis; omnia quidem prima, primùm flectenda dari poterunt: sed composita deductaq; illa tantum; quibus erit opus: quæq; occurrent deinde in epistolis ad Atticum & ad Familiares Ciceronis; et in comedijs Terentijs

Terentij. Ita nihil nisi optimum cognoscent: nihilq; inauditum erit & novum, cum istuc venerint; sed re ipsa videbunt: præceptoris sui institutionem, cum scriptis autorum consentire, ipsiq; in posterum, nullo negotio, reliqua observabunt; & quidem cum aliqua voluptate: quod ejusmodi erunt; quæ poterunt sine molestia deprehendi.

Secundo loco, ad cætera progrediendum erit: quæ consecutionis modum & formam representant: sive singulorum verborum, sive conjunctorum; sive simplicium, sive conversorum. Nullisq; aliis exemplis illustrabuntur: nisi quæ post in Cicerone & Terentio occurrent. Quid enim perversius est: quam in explicacione præceptorum, quam voce fieri sat est; coacervare commentarium exemplorum, ostentandi gratia. quodq; ipsorum autorum interpretationi reservandum est; & confirmatori exercitacioni: id vacillanti adhuc, infirmoq; judicio obtrudere? Itane verò infantulos istos, qui comminuerè vix dentibus possunt adhuc ea quæ molliora præbentur; nutriemus perfumata indurataq; carne, rancidoq; lardo, & crudo salitoq; halece; quam optimo dulcissimoq; lacte salubrius? O præclarum pabulum! quod ipsæ quidem vix robustiores nutrices masticare potuerunt: id puelli devorabunt & concoquent. Sed de præceptis tantum. Si enim intelligantur: & memoriæ mandentur: utilissimum erit: continuo transire ad exercitacionem. Itaq;

Itaq; nunc Tertium Congressum inchoemus multò acerrimum: qui explosionem vehementem afferet; si defeceris: siue viceris verò; certissimam congratulationem. Effectum sit igitur; ut discipulus loqui congruè possit; jam opera danda erit; ut etiam optimè loquatur. quod ab optimis, ut dictum est, consequetur. Quonam tandem modo? Isto inquam, quo Cicero; quo Terentiùs; quo Nævius; quo Plautus; quo Enniùs; quo omnes elegantiores & Latiniore. Hic enim conversiones illæ tradentur; quibus tantopere floruerunt. hic imitatio locum habebit. hic necesse erit, elocutionem adhuc crescentem & imbecilliozem; optimis tantum cibis ali & confirmari: ut deinceps duriora illa, si sit opus, condimento aliquo concedere possit; suaq; vi digerere: sine ulla corruptione sanitatis. Optandum enim esset; omnia apud optimos inveniri: sed quia quod optamus fieri non potest; velimus id quod possit. Itaq; quæcunque vox Latina, à quocunq; autore latino accipienda est: sed modi illi atq; formulæ, quas etiam phrasas vocant; quantum fieri potest; ab optimis erunt mutuandæ: aut ubi id non licet; ita ab aliis advocandæ: ut necessitate, non temeritate fecisse videamur.

Ita Cicero Terentiij non verbis solum utitur: verum etiam omnibus verborum conversionibus: quatenus sui temporis usus tulit. Ennij  
E  
verò,

verò, & Plauti, & aliorum: non nisi adjecta nota & indicio mutationis, ut in illo lib. 7. epist. ult. ad Famil. Hæc pennigero; non armigero in corpore tela exercentur; ut ait Philoctetes apud Accium; abjecta gloria. Et ad Atticum epist. j. li. 12. Quod scribis igniculum matutinum; *ἡσθητικὸν ἄρτος* est; ut memoriola vacillare.

Prima igitur exercitationum cura sit; ne quid peregrini & barbari; pro verno & nativo imbibatur. Alterum erit quemadmodum hæc ipsa confirmentur, quod sit lectione, scriptiōne, colloctione.

Lectio id efficiet; ut propè nihil sine exemplo dicas. Quamvis enim sæpe non ineptè dixeris; nescio tamen, quemadmodum nobismet ipsis non omnino satisfacimus; si sine exemplo loquamur; tanquam certissimo teste Latinitatis. Quare quotidie Ciceronis & Terentij scripta legenda sunt; & confestim Germanicè reddenda, non tam voce præceptoris; quam discipuli; jam ante singulorum verborum vim, & consecutionem cognouit; ut si attendat, pauca futura sint; quæ non possit sua industria vertere. Tamen si ita quidem convertet; ut non tantum reddat verbum verbo; sed ita quoque ut Latinas bonas, Germanicis etiam bonis formulis exprimat; ne Latinis proprietate & elegantia cedamus. Id licet principio fieri nequeat, sine diligenti attentione animi; tamen ubi paululum fuerit agitatum; longe erit promptissimum.

Neque

Neque hic nausea aliqua oborietur; quod eadem res subinde iterabitur: sed delectatio potius existet: dum quotidie quasi colloquetur, cum hominibus Romanis; cujuscunq; dignitatis & status. consulibus, senatoribus, pratoribus, Magistratibus, Tribunis, Quiritibus, Iudicibus, Jurisconsultis, Oratoribus, Acusatoribus, Defensoribus, Reis, clientibus, patronis, civibus: Militibus, Equitibus, Centurionibus, Præfectis, Legatis, Imperatoribus, Dictatore. Et cum in Theatrum venerit: cum senibus, juvenibus, servis, ancillis, mulieribus, matronis; iratis, placatis, duris, lenibus, dolentibus, gaudentibus, currentibus, stantibus, sperantibus, desperantibus, ridentibus, lacrymantibus, aliave agentibus plura.

Si enim locus aliquis obscurior incidet: facile à Præceptore, si ipse noverit, adjuvabitur.

Deinceps ad scriptionem venietur: quæ jam facilius instituetur: quia his erit quasi admonitulis suffulta. Quæ in re primum Latina Germanico vestitu induet: quam poterit commodissimè ad exprimendam sententiam. eademq; deinde quasi revestiet, veste Romana & sua: non semel modo; sed iterum atque sæpius. ut comparatione plurimum manifestius eluceat: quam propriè vestitum Romanum expresserit idque censoribus illis ipsis magistrorum dicendi magistris.

Secundo loco periculum faciendum est; in scriptis nostrorum

hominum Latino sermone eloquendis: prorsus hoc ipso quem dixi modo. Tum deinde ipse suum quid, suo Marte, quod dicitur, scribat: ingenio & facultati suæ aptum. cuius initium à singulis formulis faciet: sensimque descendet ad compositionem longioris comprehensionis, & literularum, & totius argumenti atque scripti.

Denique verò loqui incipiat: tum cum doctioribus; quò erudiri possit: tum cum indoctioribus: quò animadvertat; ubi errent: & semet ipse confirmet. Facilius enim notamus, quod secus fit in aliis: quàm observemus; quid nobis manticeæ in tergo sit.

Quod forte malevolì in nosmetipsos retorquebunt: quia jam ipsos notasse videmur in loquendo. Sed bene fit: si fiat rectè.

Ita ergo pervoluto cognitoque Terentio & Cicerone; deinceps reliquos omnes scriptores Latinos cognoscet: suo quemque tempore & loco.

Quod quidem iucundissimum erit: cum occurrerint similia prioribus: cum videbit diversa à Ciceronianis & Terentianis: cum ipsas formas loquendi inter se comparabit bonorum autorum & Latinorum.

Verum enimvero hæc testimonijs firmanda sunt; ut credantur? En tibi primus Terentius in prologo Andriæ: qui mavult Nævii, Plauti, Ennii, auctoritatem sequi in transferendis alienis; & utendum pro suis; dummodo se fateatur accepisse: quàm veteris poëtæ obscuram diligen-

ligentiam. qui tamen, ipse, ut in Eunuchi pro-  
logo inquit, nihil dicere poterat; quod non di-  
ctum esset prius.

En secundo loco in prologo Heautontimo-  
rumeni; ubi neutiquam negat; se  
Multas contaminasse græcas; dum facit paucas  
Latinas.

Neq; se id pigere. & deinde facturum autumat.  
Habens bonorum exemplum; quo exemplo si-  
bi licere id facere, quod illi fecerunt, putat.

En tertio in prologo Adelphorum di-  
centem.

Quod isti dicunt malevoli; homines nobiles  
Eum adjutare; assidueq; una scribere.  
Quod illi maledictum vehemens existimant esse;  
Eam laudem hic ducit maximam. cum illis pla-  
Qui vobis universis, & populo placent. (cet;

En deniq; in prologo Phormionis.  
Maledictis deterrere, ne scribat, parat.  
Qui ita dictitat; quas antehac fecit fabulas  
Tenui esse oratione; & scriptura levi.

Tum paulo post.

In medio omnibus  
Palmam esse positam, qui artem tractant Mu-  
sicam.

Quod si verò res ab aliis mutare licebit; o-  
mnemq; propè tractationem & inventionem;  
dubitandum si licet erit; verba verborumque

formulas, mītuari oportere: Neve fortasse fur-  
ti accusari possis: quibuscunq; potius surripien-  
dum fuerit aliquid, vendi tandumq; pro tuo;  
quam ab optimis accipienda optima; & te  
fatendum transtulisse? Ita nimirum istis non  
placet singulorum vocabulorum rationem ta-  
lem habere: ut

Dissociata locis, concordī pace ligentur.

Sed centonibus gaudent: & chaos con-  
gestant:

ubi corpore in uno,

Frigida pugnabunt calidis; humentia siccis;  
Mollia cum duris; sine pondere habentia  
pondus.

Iam Ciceronis quoq; testimonia audiamus:  
si fortasse Terentio non satis creditur.

Et primum quidem illud sit; lib. j. de Orat.  
Habenda est ratio diligenter: quos imitemur:  
quorum similes velimus esse.

Tum illud, lib. 3. Suavitatem verborum  
confirmat consuetudo & legendi & loquendi.

Et illud paulo post. Præcepta Latine lo-  
quendi puerilis doctrina tradit: & subtilior co-  
gnitio ac ratio literarum alit: aut consuetudo  
sermonis quotidiani, ac domestici libri confir-  
mant: & lectio veterum oratorum & poëtarum.

Tum eodem loco illud. Omnis loquendi  
elegantia, quanquam expolitur scientia litera-  
rum: tamen augetur legendis Oratoribus &  
Poëtis. Sunt enim veteres illi, qui ornare non-  
dum

dum poterant, ea quæ dicebant; omnes prope præclare locuti. quorum sermoni assuefacti qui erunt; ne cupientes quidem poterunt loqui, nisi Latine. Neque tamen erit utendum verbis ijs; quibus jam consuetudo nostra non utitur; nisi quando ornandi causa parce; ut ostendam. Sed usitatis ita poterit uti: lectissimis ut utatur is; qui in veteribus erit scriptis studiosè & multum volutatus.

Tum illud, lib. j. Postea mihi placuit; eoq; sum usus adolescens; ut summorum Orationum Græcas orationes explicarem. quibus lectis hoc assequabar; ut cum ea quæ legerem Græcè; Latine redderem; non solum optimis verbis vterer; & tamen usitatis; sed etiam exprimerem quædam verba imitando; quæ nova nostris essent; dummodo essent idonea.

Tum illud, lib. j. offic. Vt ipse ad meam utilitatem semper cum Græcis Latina conjunxi; neque id in philosophia solum; sed etiam in dicendi exercitatione feci. idem tibi censeo faciendum; ut par sis in utriusq; orationis facultate.

Tum illud lib. j. de Orat. Caput autem est; quod, ut verè dicam; minimè facimus; est enim magni laboris; quem **PLERIQUE FVGIMVS;** quamplurimum scribere. stylus optimus & præstantissimus dicendi effector ac magister. neque injuria. Nam si subitam & fortuitam orationem;  
commen-

commentatio & cogitatio facile vincit: hanc ipsam profecto, assidua ac diligens scriptura superabit.

Tum paulo post illud. Qui à scribendi consuetudine, ad dicendum venit; hanc affert facultatem: ut etiam subito si dicat; tamen illa quæ dicantur; similia scriptorum esse videantur. Atq; etiam, si quando in dicendo scriptum attulerit aliquod; cum ab eo discesseris; reliqua similis oratio consequetur. Vt concitato navigio, cum remiges inhibuerunt: retinet tamen ipsa navis motum & cursum suum; intermisso impetu pulsusq; remorum. sic in oratione perpetua, cum scripta deficiunt; parem tamen obtinet oratio reliqua cursum; scriptorum similitudine & vi concitata.

Deniq; illud. lib. de clar. Orat. Magni interest, quos quisq; quotidie audiat; quibus cum loquatur à puero: quemadmodum patres, pædagogii, matres etiam loquantur. Legimus epistolam Corneliæ, matris Gracchorum: apparet, filios non tam in gremio educatos; quam sermone matris.

Nisi fallor igitur I. P. alteram propositionis meæ partem evici: Quemadmodum sufficiens facultas linguarum comparari possit, ad bene loquendum: si nos optimorum similes esse velimus: nihilq; perperam admittamus in societatem puritatis nostræ; quo illam labe aliqua  
nobis

nobis imprudentibus aspergat. Restat nunc, ut de *TEMPORE* dicam: ne omnem aetatem vocabulis tribuere velle videar. aut quod isti sexcentis fabulis sparserunt: celerius fieri posse dicam, quam ut cujusquam captus assequi posse videatur.

Quamobrem, quia de tempore summa cura esse debet: cum propter ipsam aetatem nostram: tum propter diuturniores sumptus: quos qui vis facere cogitur: qui longiori via utitur: & implicatiori modo procedit: illud satis mirari non possum cur nobismetipsis obstemus.

Et sanè enim turpissimum nobis est; qui omnibus nationibus feliciores sumus cœlestis doctrinae splendore, puritate, copia: non tam sollicitos esse de puritate & facultate linguarum; quam & necesse est; & quotidie nostratum jactura experimur. Puerili enim aetate; non juvenili, aut virili, linguarum facultas comparari cum potest, tum etiam debet. Sed prudentia opus erit; & summa institutionis facilitate ac moderatione. Ita Græcam linguam Romani didicerunt. Ita Adversarii nostri in religione Latinam discunt. Ita omnes fecerunt, & faciunt; quibus studia linguarum cordi sunt, aut fuerunt. Linguarum enim cognitio fundamentum est omnis eruditionis. Neque sanè video: qua in re doctus præstet indocto; nisi peritia & facultate linguarum. Sæpe certè rusticum & agrestem hominem præstantiori ingenio videbis;

F

quam

quam literatum & doctum. Sape servus indo-  
ctus, domino doctissimo solertior est & pruden-  
tior. Sape discipulus magistro ingeniosior &  
sagacior.

Linguae doctrinam juvant: omnesq; perve-  
nimus ad summa, eloquentia: latentq; ea sem-  
per; quae sermone aut scripto non explicantur.  
Vnde enim ejusdem saepe scripti, lociq; cum  
jurisconsultorum, tum Theologorum tot diver-  
sissimae opiniones existunt: nisi propria vi, na-  
turaq; verborum ignorata? cum se alter scripto  
defendit: alter etiam multo magis pro se facere  
scriptum contendit. Quid? maximae contro-  
versiae horum temporum nonne ex sola verbo-  
rum concertatione proficiuntur? cum alter  
alterius loquendi formulas capitis arcescit; eti-  
am si sit utrorumq; idem sensus, eademq; con-  
sensus veritatis. Adeo nobis nostra placent;  
praeq; nobis contemnimus omnes.

Sed satis sit. Illud enim dico; quod ex his  
quae adduxi manifestum est. Si ita instructus  
sit, aut se instruat praceptor; eamq; teneat; aut  
melioem si quam habet; rationem instituendi  
& docendi. quanto quisq; excitatori ingenio  
fuerit; & ad currendum studiosior. tanto brevi-  
ori tempore linguarum facultatem talem com-  
parabit; quae sufficiat ad bene loquendum. ut  
si deinde placeat dictionem in campum elo-  
quentiae ducere; in contentionem; in pugnam;  
non possit merito derideri aut explodi.

Dixi


Dixi nunc Ill. P. rationem meam. quam  
veterum illorum; quorum nos similes esse, o-  
mnes velle debemus. Ea si tibi non displic-  
ebit: quanquam quemadmodum posset  
displicere? tantum effeci: ut me eum ci-  
vem esse videas: qui Rempublicam tu-  
am; omni opera mea studeam pro-  
movere. Sin verò, ut suspicari  
non possum, nondum omnino  
liquet æstimare: ubi tibi ita  
videbitur: ampliorem  
declarationem arbi-  
trio tuo cupi-  
dus permit-  
to.

FINIS.



libri tunc III. P. radon in man. tunc  
venerunt illorum; quorum nos similes esse  
videmus. Et si tibi non dicitur  
quodam quendammodum posse  
quodammodo; tamen aliter; ut mecum  
venire videris; qui hanc dicitur  
tam; omni opera mea tunc pro-  
moveri. Sin vero; ut suspicari  
non possim; non dum omnino  
liberum; tamen; ut dicitur  
aliter; tamen; ut dicitur  
determinationem tibi  
tunc tunc cupi-  
tus dicitur  
to.

F I N I S



[www.books2ebooks.eu](http://www.books2ebooks.eu)